

Postquam enim satis jam diu visum in luce exercuimus, delabimur nunc in clausum undiq; & obscuratum aliquod conclave, quod unico patet foramine, cui oculus ligneus, orbiculari quodam vitro plano-convexo instructus, inditus est; ex opposito illius oculi expansum cernitur album quoddam linteumen, in quo objecta quævis externa, directè ante oculum collocata adeò nitidè perfecteque suis quæque coloribus pinguntur, ut nullum artis pictoriæ vel excellentissimum opus, cum hoc refracti luminis admirando lusu veniat comparandum. Non enim simulacra tantum rerum accuratissima, sed & actiones, motus, gestus, ea denique hinc exprimuntur, quæ vel ipsi Apelli, si adesset, imitatu forent penitus impossibilia. Expectatis ne, ut Inventorem Cameræ hujus obscuræ vobis aperiam? ille profectò nemo aliis est, quam Deus ipse, qui primam Cameram obscuram in Adami capite fabricavit, exinde per continuas generationum series ad unumquemque nostrum propagatam. Quid enim aliud est oculus noster, nisi Camera quædam obscura, tanto admirabilior, quantum artificiali omni artificiosior est? *Patulum* siquidem *foramen est pupilla, Lentis vitrea officium explet humor crystallinus, linteum in ali vicem subit expansa subalbicans retina membrana,* reliquum verò spatium undique clausum est, nativaque choroidis nigredine haud parum obscuratur. Sed ex his ipsis tenebris tanta, & tam valida lux effulget, ut paulo attentior animus Deum ipsum, ipsis quasi oculis in oculo & ex oculo videre quam clarissimè possit. (24.) Hoc divinum inventum imitata est hoc seculo 25. hominum curiositas; (25.) varias cameras obscuras mobiles immobilesque; faciliter parans artificio, quarum amplissimum usum, summamque jucunditatem ut prolixius nunc referam, tempus non sinit. Satis erit dixisse, quod, cum ante ad lucem & colorrem nimium quantum cœcutiremus, nunc & horum & ipsius visus manifestissimas rationes ipsæ Camerarum obscurarum tenebræ apertissimè nobis declaraverint,

Vel-